



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Vincentinus C. 5. Aprilis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

178 VITÆ SANCTORVM. 5. April.
erant, fluctu haustis, ipsi nescio in quem mon-
tem cælo contiguum evasissent, candidis ibi ve-
stibus ornati. Somnium hoc dies explicit. In
mare cum saxis appendicibus abjecti ipsissimum
Olympum subierunt. THEODVLVS deinde
multâ luce candidus, inde ad suos revisit, quod
testamentum facere esset oblitus. Dixit ergo he-
redes omnium pauperes, & te quoque inter hujus
testamenti executores hodie cupit habere. Ex Me-
taphr. apud Surium.

*Navicula Christi nunc tollitur ad celum, nunc in tre-
pidationum ima descendit: nunc Christi regitur viri-
bus, nunc formidine jactatur: nunc operitur fluctibus
passionum, nunc confessionum remigiis enat. Sed nos
iterum atque iterum clamemus, Domine salva nos;
Perimus. S.Chrysol.serm.20.*

S. VINCENTIUS C. 5. Aprilis.

Sanctus VINCENTIVS antiquâ Ferreriorum
familia in Hispaniâ natus, primis statim annis
documenta edidit Magisterii pietatis, quod vii
exercuit, jam puer inter pueros Magnus Orator.
Ea initia egregiâ indole ac literarum eximio pro-
fectu fecit auctiora, omnem libertatem pertæsus,
quæ levitatem oleret. Ingressus S.Dominici fami-
liam, & Christi aspectu, morbo levatus, ejus im-
perio populos ad pœnitentiam evocare institit,
tam strenuè quidem, ut satis constet Judæorum
viginti quinq; millia, totidem ferè Saracenorum,
Christo ejus operâ conciliata; Christianorum
centum viginti millia eidem reconciliata: publicis
flagitiis infamium quadraginta millia ad innocen-
tiā reducta. Ardorem dicens inde intelligas,
quod capitalia ausos cùm ad furcam comitaretur,

ora-

1 April. VITÆ SANCTORVM. 179
oratione primum effervescere, mox colliquescere,
denique in cinerem exarescere coegerit felicissi-
mo suppicio amoris extinctos. Tot spoliis Orco
abactis triumphantem mirum non est, si Styx odit,
& spoliare castitatis gemmā contendit, quantum-
vis irrito conatu, quod in Magnæ Matris tutelā es-
set, quæ suo pugili adstitit, & victorem rude do-
navit, in nos quoque exemplum repetitura, si
cum VINCENTIO vincere vellemus. Acta olim fu-
riis mater, ac proli suæ iniqua infantem in multas
partes secuerat: has collectas vir sanctus integri-
tati vitæque restituit, post dæmonem etiam de
morte triumphans, quæ proinde obstruere viam
huic sideri non potuit, quo minus ad cælum an-
no M. CD. XVIII. ferretur. Ex Sur.

*Ad evitandas diabolicas pugnas molestias valenter
assurgimus, si necessitatis ultimæ periculum providè
pertractemus: nam si repentinus ille atque terribilis
adventus Christi perpenditur, quid erit in mundo, ubi
mens humana delectetur? S.P.Dam.l.i.epist.19.*

S. IRENE V. M. 5. Aprilis.

IRENE S. Anastasiæ famulabatur, conditione,
non item virtutibus Heræ impar. Una cum dua-
bus sororibus ad tribunal rapta est immitis Dulci-
tii, quodque magis timendum fuit, etiam lascivi.
Profuit innocentibus, quod amor in furorem ab-
iit, qui Dulcitium ad dissuaviandas ollas impulit,
quarum fuligine deformatus cæcus amator, bac-
chatusque per urbem populo ludos præbuit. Sed
neque cum denudari virgines mandasset, vestes
corporibus eripi ullâ vi potuere; pugnante pro-
iis, & togas retinente mordicus pudore. Forna-
ce deinde (Babyloniam dixisses) conclusæ IRE-
NBS